



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Contritio pro peccatis sensibilis, quàm sit vtilis ad abolitionem
peccatorum: quânam ea exerceri debeat: quàm item sit eadem accepta
Deo. Can. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Misericordia Dei quanta erga peccatores.

peccata, tanto ego libentius ignosco penitenti. Inde enim elucet maior gloria mea, quanto maiori peccatori maiorem erogo misericordiam. Non sum durus, non sum maleolus, non sum parcus, sed totus in te o filia liberalis, profusus & prodigus. Nihil minus habeo, si omnia mundi peccata tu sola fecisses, & tibi omnia dimitterem.

Peccatum emne ut sit voluntarium. Somnia ut neminem inquietent.

Est tamen fortasse aliud quod te terret, quia peccata te premunt: & quae olim vltro admiseras, iam inuisa cogere tolerare. Persequitur te aduersarius, & suis foeditates tecum habet. Quicquid inuisa sustines filia, non te damnabit: peccatum nanque aded esse oportet voluntarium, ut si non sit voluntarium, non sit peccatum. Cohibe igitur voluntatem tuam a consensu, & sine carnem & diabolum furere. De somnijs etiam nihil metuas, quicquid ibi actum, quicquid passum fuerit a dormiente, si ante & post somnum, ubi rationis compos fueris, tibi displicet, nequaquam venit tibi imputandum. Et licet per vitam conuersationis prioris antiquae tibi occasionem dederis, iam tamen non erit (postquam huius conuersationis penituiti) occasio aut causa peccatum generans: quia antiqua per confessionem & contritionem deleta non causant peccatum, modo voluntas alioqui abfit.

Contritio pro peccatis sensibilis, quam sit utilis ad abolitionem peccatorum: quinam ea exerceri debeat: quam item sit eadem

Deo accepta.

CANON III.

Contritionis sensibilis bona quae sint.

Quaquam contritio sensibilis atque cordialis, seu sensualis displicentia peccati non sit ad veniam necessaria, valde tamen confert ad delenda euendaque peccata: valet quoque ad extirpanda vitia, ad obtinendam denique serenitatem tranquillitatemque cordis. Confortat enim spiritum vehementer, sensibiliter, cordialiterque dolere ac gemere: & hoc propterea, quod me Deum totum, (a quo es & habes bona omnia) vnquam offenderis. Qui hanc contritionem sentit, mihi gratias agat, quia & vere donum est meum, purificans animam a peccatis, modo pure doleatur: hoc est, propterea quod ego offensus sum: & dolor isto oritur ex radice charitatis. Neque enim penitens propterea tantum dolere debet, tametsi etiam dolendum sit, quod peccando incommoda multa obligationesque incidit, quod poenis & debitis obnoxium se fecerit, quod denique in omnium, sedulitatem, infirmitatemque animae lux intulerit, aut ob alia huiusmodi, quae respectum tantummodo habet sui ipsius ex amore proprio natum: sed potius quod me offenderit, quod me inhonorauerit, quem velle debet a se & ab omnibus maxime honoratum, maxime amatum: ita ut penitentis dolor non propter se praecipue sit, sed propter me. Huiusmodi dolor mihi acceptissimus est, cito placans, cito me reconcilians, aded ut nonnunquam solus sufficiat (ubi aded intensus fuerit) sine alia satisfactione, aut opere poenali ad abolendam omnem poenam peccatis debitam. Oritur enim ex charitate, quae operis multitudinem peccatorum, conscientiamque purificans, & ad me accedendi fiduciam praestans.

Penitens cur dolere debeat.

Dolor pro peccatis qui Deo gratissimus. Prou. 10. Iacob. 1. 1 Pet. 4.

Quomodo dolor, amor, fiduciaque ad Deum simul crescunt.

CANON